Pronus humi gelidoque pavens dedit oscula saxo
Atque ita si precibus dixerunt numina iustis
Victa remollescunt si flectitur ira deorum
Dic themi qua generis dampnum reparabile nostri
Arte sit et mersis fer opem mitissima rebus
Mota dea est sortemque dedit discedite templo
Et velate capud cinctasque recingite vestes
Ossaque post tergum magne iactate parentis
Obstupuere diu rupitque silentia voce
Pyrrha prior iussisque dee parere recusat
Detque sibi veniam pavido rogat ore pavetque
Ledere maternas iactatis ossibus umbras
Interea repetunt cecis obscura latebris
Verba date sortis secum inter seque volutant
Inde promethides placidis epimethida dictis
Mulcet et aut fallax ait est solertia nobis
Aut pia sunt nullumque nephas oracula suadent
Magna parens terra est lapides in corpore terre
Ossa reor dici iacere hos post terga iubemur
Coniugis augurio quamquam titania mota est
Spes tamen in dubio est adeo celestibus ambo
Diffidunt monitis sed quid temptare nocebat
Descendunt velantque capud tunicasque recingunt
Et iussos lapides sua post vestigia mittunt
Saxa quis hoc credat nisi sit pro teste vetustas
Ponere duritiem cepere suumque rigorem
Mollirique mora mollitaque ducere formam
Mox ubi creverunt naturaque mitior illis
Contigit ut quedam sic non manifesta videri
Forma potest hominis sed uti de marmore cepta
Non exacta satis rudibusque simillima signis
Que tamen ex illis aliquo pars humida succo
Et terrena fuit versa est in corporis usum
Quod solidum est flectique nequid vertitur in ossa